

† R. P. Patritius Murphy (1909-1949)

(Prov. Hib.)

Patritius seu brevius Pat Murphy natus est 14 Dec. 1909 apud Clonmel in dioecesi Waterford. Media sua studia incepit penes religiosos *Christian Brothers* nuncupatos, transigens duos tresve annos in Clonmel et annum in Kilcock, Co. Kildare, ubi eius avunculus, Fr. Lonergan, Superior erat. De hac periodo quidam, qui optime eum noverat, sequens dat testimonium:

« Pat Murphy in pueritia erat pius, hilarius, comis, participans perlibenter et cum distinctione lusorias iuventae exercitationes ac concertationes. Innocentium iocorum amator, multum amabatur a sodalibus. Iam illo tempore qualitates animi egregiae quibus postea eminebat, palam apparebant, velut illa sinceritas, quam Angli *spirit of fair play* dicunt, et peculiaris debiliorum sodalium dilectio, ita ut omnibus carus esset. Ut collegii alumnus nil desiderandum relinquebat; erat enim pius, sollers, valde docilis erga Superiorum praecepta ac consilia et gaudebat universalis magistrorum ac commilitonum fiducia ».

Peractis in Limericensi Collegio Apostolico S. I. aliquot annis, a. 1931 ingressus est nostrum novitiatum Dundalk, et a. 1937 in Esker recepit ordinem presbyteratus. Quo tempore inter clericos studentes vivebat, iam tenebatur magno desiderio praedicandi Evangelii in longinquis Insulis Philippinis, ubi Provincia Hibernica ex a. 1906 Missionem exteram habet, et revera, absolutis studiis, a Superioribus eo missus est.

Augusto mense a. 1939 navigavit in Extremum Orientem. Exactis vix tribus mensibus, iam primum suum sermonem in lingua indigena *Visayan* habuit cum omnium stupore. Quaedam religiosa postea confitebatur se in fine sermonis sensisse quandam tentationem publice oratori sacro applaudendi. Sed tales successus obtineri nequeunt absque multo labore ac sudore, praesertim in ista terra paucis gradibus supra aequatorem posita.

Sic igitur usque ad initium belli (Dec. 1941) P. Pat varias praedicavit missiones et exercitiorum cursus illo ardentissimo studio, illo sacrificii spiritu, illo apostolico zelo, quibus semper eminebat.

Tempore belli, ut alibi narravimus<sup>1</sup>, Archiepiscopus Reyes Patribus communitatis Cebú commiserat curam quattuor paroeciarum. Inter eas



<sup>1</sup> *Analecta* XX (1948), 168.

etiam Opon et Cordova erant, ubi nostri olim ipsi curam paroecialem gesserant, et in Opon quidem ultra 20 annos. De nostro P. Pat testatur eius Vice-Provincialis:

« Quo tempore Redemptoristae curam vicinarum paroeciarum gerebant, P. Pat Murphy semper promptus erat ad quodvis iussum exsequendum, v. g. ad ultima sacramenta administranda moribundo multum distanti, etsi itinera eiusmodi ob milites Iaponenses circumvagantes periculorum plena essent ».

Quas adversitates nostri tempore belli in Insulis Philippinis perpessi sunt, eas breviter l. c. in Analectis narratas habes. P. Murphy is fuit qui collegium Cebuanum a combustione servavit, sed haud sine gravi periculo proprio.

Reversus in patriam a. 1946, post brevem quietem denuo in opere apostolico faciendo occupabatur. Ineunte a. 1947 Superiores iterum eum destinarunt Missioni Insularum Philippinarum; verum cum post decem menses denuo itinerandi possilitas aliqua erat, bonus P. Pat subitaneo gravique morbo correptus est. Neque temporanea in nosocomio commoratio neque medicorum curae infirmum iuvare poterant. Probatus sic diuturno ac molesto morbo, hic iuvenis missionarius, qui 40 annos nondum compleverat, a Domino repertus est fructus iam Paradiso maturus.

In infirmitate semper dedit exempla inalterabilis patientiae, perfectae sub Dei voluntatem submissionis, grati etiam pro minimo servitio animi. Ipse, absoluto quondam novendiali pro sua sanatione, venit ad convictiōnem vitae finem sibi instare, et forti, immo laeto animo obtulit Deo sacrificium supremum.

Mortus est primo die mensis Mariani 1949 in hospitali Limericensi et sepultus in nostra subterranea sepultura sub altari maiore ecclesiae *Mount Saint Alphonsus*. In vita et in morte P. Patritius Murphy sese monstraverat fidelem SS. Redemptoris sectatorem et genuinum S. P. N. Alfonsi filium. R. I. P.